

## De arte poetica

### Schola I: De poetis et arte poetica. De carmine et prosa. De Homero.

1. *De arte poetica* sub hoc titulo primus scripsisse carmen uidetur Horatius. Qui certa uoluit dare praecepta poetis. Nos contra omnia tractaturi sumus quae ueteres de poesi senserunt, non solum philosophi, sed etiam rhetores, grammatici, praecipue poetae ipsi. – Pauca tamen praefanda uidentur de uocabulis. *Ars poetica* nomen habet a *poeta*, Gr. *ποιητης*, quo significatur „fabricator“ (uelut „fabricator lecti“ aut „fabricator huius mundi“ ap. Platonem, Tim. 28 C); de poetis carminum primus dicit Herodotus (2,53). Idem *ποιησιν* primus habet; Plato *τεχνην ποιητικην* (Gorg. 502 C), i.e. „artem quae poetarum est“. De ea post Aristoteles notissimum librum *Περί ποιητικής* scripsit. Romani haec uerba simul cum litteris arripuerunt. *Poeta* iam apud Plautum inuenitur, item *poema* i.e. *ποίημα* (pro quo tamen uetus uox *carminis* semper in usu mansit); *poeticam* (i.e. poetarum) *artem* contemnit Cato maior (mor. frg. 2); *poesis* primum apud Lucilium (340) legitur, quam distinguit a *poemate*.

1. Wilhelm Kroll: Studien zum Verständnis der römischen Literatur, 1924 (it. 1964)
2. G.M.A. Grube: *The Greek and Roman critics*, 1965 (it. 1968)
3. Gero von Wilpert: *Sachwörterbuch der Literatur*, (1955) <sup>8</sup>2001
4. Manfred Fuhrmann: Die Dichtungstheorie der Antike: Aristoteles – Horaz – „Longin“, (1973) <sup>3</sup>2003
5. Metzler Lexikon Literatur- und Kulturtheorie [...] ed. Ansgar Nünning, 5 ed. 2013

2. *Poesis* quid esset primus quaesiuisset uidetur Gorgias rhetor: qui eam satis plausibiliter definiuit *orationem metrum* (siue *numeros*) *habentem* (enc. Hel. 9). Diligentius Isocrates in rem inquisiuit in *Euagora* (9), ubi dicit de commodis poetarum: 1. quod liceat deos inducere cum hominibus uersantes, 2. quod sit maior licentia uerborum (postea etiam libertas poetica uocata), 3. quod praesto sint *μετρα και ρυθμοι* („numeri“). Sic nunc quoque plurimi poesis a prosa distinguunt; optimi auctores Latini de *oratione* (*numerus*) *uincta* et de *oratione soluta* loquuntur. Cui opinioni tamen aduersatus est Aristoteles, poet. 1, qui poesis proprium esse uoluit non numeros, sed imitationem (*μιμησιν*). Quare is Empedoclem hexametrorum scriptorem e choro poetarum submouet. Quem ex parte sequitur Horatius, qui ipse in Satiris se negat esse poetam (1,4,39-62): neque enim satis esse *concludere uersum*, sed: *ingenium cui sit, cui mens diuiniore atque os / magna sonaturum, des nominis huius honorem*.

3. De poesi suo more primus egit **Homerus**. Qui quid de poesi sentiret, cum non aperte dicat, tamen in eis ostendit quos quasi poetas i.e. carminum cantores inducit. Quorum dignitate primus est in *Iliade* Achilles, qui, dum propter iram a bello uacat, in tentorio ad phormingem (9,186-189) cantat *κλεα ανδρων* („famam uirorum“). Is tamen hanc artem ad priuatum usum uel solacium didicit; in *Odyssea* contra duo ueri artifices describuntur, qui arte poetica etiam uictum sibi quaerere uidentur, uocantur autem *αιοιδοι*. Nam **Demodocus** in libro VIII (43-565) inter Phaeaces cantat, arcessitus a rege, ut cenae quasi summum decus addat: honoratur autem ut „cantor nobilis“ et „diuinus“. Ac tria edit carmina quorum unum iocosum est, de concubitu Martis et Veneris, duo grauiora, quae pertinent ad bellum Troianum. Cui Vlixes, qui tunc inter auditores est, ipse olim interfuit; quare grauissime commouetur. Fatetur autem: „Cantas tam uere, quasi ipse adfuersis“ (491). Sed Demodocus quomodo potest? Id intellegitur e uersu 73, ubi „Musa eum incitauit ad famam uirorum cantandam“, et ex aliis locis, ubi eum Musa siue deus aliquis docuisse dicitur. Inde igitur ueritatem rerum discere potuit. Musae autem omnia sciunt, quia ubique praesentes sunt. Quod cognoscitur e uersibus nobilissimis in initio catalogi nauium (2,484-494). (Quam diligenter hanc praesentiam Musarum obseruet, monstrat ipsa fabula de Marte ac Venere, in qua Musas non commemorat.) – Ergo cum Homerus ipse initio carminum Musas inuocat, carmen suum auditoribus ut uerum commendat.

6. Walther Kraus: „Die Auffassung des Dichtertums im frühen Griechentum“ (primum 1955), in: W.K., *Aus Allen Eines*, 1984, 43-62
7. Wolfgang Schadewaldt: *Von Homers Welt und Werk*, (1951) <sup>4</sup>1965, 54-86
8. Giuliana Lanata: *Poetica Pre-Platonica: testimonianze e frammenti*, 1963
9. Michael Reichel: „Homer“, in: B. Zimmermann (ed.), *Handb. d. griech. Lit. d. Antike*, uol. 1, 2011, 12-61

## De arte poetica

### Schola II: De Homero (II). De Hesiodo

4. Alter poeta siue cantor, **Phemius**, Ithacae uersatur, ubi a procis Penelopae cantare post cenas cogitur. Demodoco est admodum similis. Instrumentum *citharis* dicitur (1,153). Canit autem reditum Graecorum (a bello Troiano) miserabilem (1,325 sqq.). Quo cantu Penelope ad lacrimas commouetur eumque rogat ut alia cantet „opera hominumque deumque, qualia cantores celebrare solent“. Reprehendit eam Telemachus filius: Culpam horum malorum in Ioue esse, non in cantoribus: atque id carmen gratissimum esse quod sit recentissimum. Postea, cum Vlixes redux procos scelestos omnes necat aut necaturus est, etiam Phemius de sua uita metuit (22,330 sqq.). Ergo Vlixis supplicat, ne interficiatur. Dicit autem malum inde Ulixi oriturum, si cantorem necet, qui „dis cantet et hominibus“ (ergo etiam deos immortales delectari uult suis carminibus). Deinde, ut quasi sanctus uideatur, addit: „αυτοδιδακτος εμι, i.e quae canto, non ab homine magistro didici, sed a me ipso siue a deo“ (sine dubio Musa): „deus autem multifaria cantica mihi in mentem indidit“. Dubitamus hocne de omnibus poetis dicat an de se solo ut qui nobilior sit ceteris. Credit certe Vlixes et parcat homini quasi diuino.

5. Comprehendamus paucis quae **de poesi Homerus** docere uideatur: (I) Musa siue deus siue Musae poetis et facultatem dant cantandi et ut testes rerum eos uera docent; incitant etiam ad cantandum, ut ei diuini uideantur. (II) Cantus semper fit ad lyram aliquam, solet esse de rebus humanis recentibus, interdum etiam de diuinis; non amplius una fere hora, sc. accommodate ad uocis humanae robur, concluditur. (III) Cantori id maxime propositum est ut audientes (aut se ipsum) delectet. Simul memoriam rerum seruat, cum cantat „famam uirorum“. Nusquam dat praecepta ad bene uiuendum. – Si nunc quaerimus, num **Homerus ipse** talis fuerit, quales cantores descripsit, similem eum uidemus in eis quae ad Musam (I) et propositum (III) attinent; de cantu ipso (II) uidetur differre. Audimus enim (1) carmina Homeri postea non ad lyram cantata, sed ad baculum quendam, *rhabdon* (nom. ραβδος), a rhapsodis recitata esse; neque hexameter quo Homerus utitur musicis modis adhiberi solebat. (2) Nec de nouis rebus in Homericis carminibus agitur, sed de uetutissimis, cum bellum Troianum ab aetate Homeri fere quingentos annos distet. (3) Neque unius cantoris uoce egent, sed plurium; nam tota Ilias Panathenaeis ternis diebus continuis recitabatur (idque spatium desiderat). (4) Nec credibile est Homerum sine scriptura tanta carmina edere potuisse (qua Demodocus et Phemius certe carent). Quamquam nostra aetate fuerunt qui Homerum ipsum sua carmina subita ex tempore sine scripto effudisse dicerent, ut nunc quidam faciunt cantores serbocroatici. De quo nuper magna rixa fuit inter grammaticos. Sed plurimi iure putant Homerum ex aliqua parte dissimilem fuisse eis cantoribus quos inducit.

10. Albin Lesky: „Homeros“, *RE Suppl.* 11 (1968) 687-846 (693 sqq.: „Oral poetry“)

11. Adam Parry (ed.): *The making of Homeric verse: The collected papers of Milman Parry*, Oxonii 1987

12. Joachim Latacz: *Homer. Der erste Dichter des Abendlands*, Dusseldorpi / Turici <sup>4</sup>2003

6. **Hesiodum** poetam epicum alterum plurimi Homero succedere uolunt, nonnulli anteponunt. Qui nobis e carminibus multo notior est: Discimus eum natum esse Ascrae in Boeotioa, ibi in Helicone pastorem fuisse, donec Musae eum poetam fecerunt. Est autem totum carmen de „Origine deorum“ (*Theogonia*), inde a Tellure et Caelo, quae post uetustissimum Chaos orta sunt. Adiunxit huic operi, quod dis immortalibus destinatum erat, *Ehoeas* siue *Feminarum catalogum* de heroinis ueteribus quae cum dis concubuerunt (quod carmen periit), denique *Opera et dies* (*Erga kai hemerai*), opus non narratorium, sed magis didacticum, cum praecepta et de agri cultura et de uita honesta contineat. Ad poesin autem spectant ea quae de Musis dicit. Quarum in *Theogonia* primus nouem nomina edit: „Clio Euterpeque etc.“, nec tamen singulis officia adscribit. Dicit autem eas in Helicone saltare (2 sqq.), cum in Pieria natae sint, filiae Memoriae et Iouis (52 sqqq.), cuius animum in Olympo carminibus oblectent (37). Nec tamen dedignatae sunt ad Hesiodum ipsum uenire eique inspirare „cantum diuinum“, ut poeta e pastore fieret. Noua res!

13. Andrea Ercolani / Luigi Enrico Rossi: „Hesiod“. In: Bernhard Zimmermann (ed.): *Handbuch der griechischen Literatur der Antike*, uol.1, Monachii 2011, 78–123

## De arte poetica

### Schola III: De Hesiodo (II)

7. In rebus poeticis **Hesiodus** sine dubio summus erat **nouator**. Ac fere omnia pertinent ad Musas. Est autem prooemium *Theogoniae* (1-115) quasi hymnus in Musas scriptus. Quas primum inuocat in Helicone saltantes, tum inde descendentes atque cantantes (1-21). Deinde sese dicit ab illis poetam consecratum esse, cum oues in Helicone pasceret (22-35). Sequitur descriptio carminum quae Musae, ut Iouem delectent, cantare soleant: quorum primum est de ipsa theogonia, secundus est hymnus in Iouem, tertia autem sunt carmina de hominibus et Gigantibus (36-52). Addit fabulam, qua narrat, quomodo e Memoria ac Ioue natae sint (53-67). Post hanc quasi digressionem (36-67) eas redisse ab Helicone dicit ad Iouem omnibus dis sua munera distribuentem (68-74). Tum denique nomina ipsarum decantat (75-79) et munera explicat (80-103), quae est quasi *αρεταλογία*. Sunt autem tria: primum regibus adsunt, ut ei suauibus uerbis iura dare et rixas sedare possint (80-93); deinde dicit de cantoribus, quos e Musis pendere dicit ut reges e Ioue (94-97); tertium autem Musarum donum esse ait, quod homines curis sollicitos auocare ab illis et consolari possint (98-103). Haec omnia noua sunt, si Homero compares. Nam Musa Hesioidea fere magis rhetoricae quam poeticae magistra uidetur: reges eloquentia instruit, affectibus hominum moderatur.

14. Kurt v. Fritz: „Das Prooemium der Hesiodischen Theogonie“, in: E. Heitsch (ed.), *Hesiod*, 1966, 293-315

8. Quod etiam manifestius est ex illa fabula qua Hesiodus se a Musis poetam quasi **consecratum** esse dicit (22-35). Primum enim eum ut unum e rusticis increpat, tum sua dona iactant (27-28): „Scimus falsa (*ψευδεα*) multa dicere ueris similia (*ετυμοισιν ομοια*); / scimus autem, si uolumus, uera (*αληθεα*) loqui.“ Ergo Musae tam falsa quam uera poetis dictare solent. Eo sane Hesiodus discrepat ab Homero, qui Musis semper ueritatem dederat. Hesiodus autem rem dicit minime obscuram: multa fingere poetas, nonnulla etiam uera dicere. – Sic nimirum omnia tempora iudicauerunt de his uersibus, donec saeculo XVIII quidam critici genus poeticum nouum se inuenisse putauerunt: praeter opus epicum lyricum dramaticum esse etiam didacticum, cuius inuentor fuerit Hesiodus. (Quod ex parte uerum est.) Id autem esse proprium huius operis didactici, ut ueritatem contineat (sic Batteux 1748). Hesiodus igitur debebat esse poeta ueritatis. Io! Nunc demum illi uersus novos interpretes inuenerunt: „Musae, ut poetam didacticum instruerent, ei in u. 28 uerum cantum donauerunt; uersus 27 autem non ad illum pertinet, sed ad Homerum, quem Hesiodus ut mendacem reprehendit.“ Sic primum C.O. Müller 1841, quem statim omnes secuti sunt. Qui tamen uno loco haerebant, quod nesciebant, cur Homerus ab Hesiodo tantopere uituperaretur. Alius hoc, alius illud opinabatur.

9. Redeamus ad ueterem interpretationem. Homerus suis auditoribus persuadebat ea uera esse quae dicebat ideoque Musas quasi testes inuocabat. Ergo omnia uolebat esse quam ueri simillima; nimis mirabilia amouebat aut Vlixii suo tribuebat. Hesiodus idem facere non poterat, quoniam atrocia minimeque plausibilia narraturus erat: Cogitate de uno Saturno qui patri suo, Caelo, genitalia abscidit, unde Venus nascitura erat. Quid quod harum rerum Musae ne testes quidem esse potuerunt? Neque enim illo tempore natae erant. Ergo necesse erat munera Musarum augere: deae fiunt quasi rhetoricae, etiam regibus utiles. Quae, ut oratores, non plane mentiuntur, sed mendacia sic proferunt, ut uera uideantur. Idque tam ad Homerum quam ad se spectare Hesiodus uoluit. – Ergo Hesiodus se mendacem dixit? Ex parte. Sed contra uiri docti: „Musae iubent Hesiodum theogoniam canere. Sed ipsae quoque ad Iouem theogoniam canunt. Ergo si Hesiodus falsa diceret, Musae quoque ad Iouem falsa dicerent. Idne patiat Iuppiter?“ Ego miser nescio quid Musae ad Iouem cantent. Vellem interesset!

15. Wilfried Stroh: „Hesiods lügende Musen“, in: H. Görgemanns / E.A. Schmidt (edd.), *Studien zum antik Epos*, 1976, 85-112

16. Wolfgang Rösler: „Die Entdeckung der Fiktionalität in der Antike“, *Poetica* 12, 1980, 283-319

17. Oliver Primavesi: „Zum Problem der epischen Fiktion in der vorplatonischen Poetik“, in: U. Peters & R. Warning (ed.), *Fiktion und Fiktionalität in den Literaturen des Mittelalters*, 2009, 105-120

## De arte poetica

### Schola IV: De epico carmine. De poetis iambicis, elegiacis, lyricis.

**10. Epici carminis** duo sunt genera praecipua: **heroicum** (ut *Ilias*) et „**theologicum**“ (ut *Theogonia*). Quibus possis adiungere „**didacticum**“ (ut *Opera et Dies*), quod etiam philosophi quidam (ut Parmenides, Empedocles) coluerunt. Heroico genere scripserunt praeter Homerum Hesiodus (in *Catalogo*), tum poetae cyclici, qui ab Homero omissa supplebant (ut auctor *Cypriorum*), postea Antimachus, Choerilus alii, e quibus hellenistica aetate exstat Apollonius Rhodius. Qui communem habent narrationem, quae ne in didacticis quidem omnino deest. Quae solet fieri aut secundum seriem temporis (ut in *Iliade*) aut initium capere a mediis rebus, ut antecedentia postponantur (ut in *Odyssea*). Adnumerantur generi narratorio e magna parte **hymni** multis fabulis admixtis insignes, qui plurimi hexametris scripti sunt.

**11.** Graecae poesis historiam homines docti diuidunt in tres aetates: „aetatem epicam“ (s. VIII-VII), „aetatem lyricam“ (saec. VII-V), „aetatem dramaticam“ (saec. V-III), nominatas ab eo genere carminum quod quoque tempore praeualuit. (Subiacet autem illa tripartitio omnis poesis in genus epicum lyricum dramaticum, quae XVIII saeculo tandem obtinuit.) Venimus igitur post epicos poetas ad „**lyricos**“, quibus critici nunc etiam **iambicos** et **elegiacos** adscribere solent. Veteres non ita, qui lyrica solum ea dicebant quae ad lyram siue tibiam aptis numeris cantabantur; nec lyricum id putabant quo poeta sui animi motus exprimeret aut confiteretur – cum multa lyrica tota in narrationibus essent. Sed utcumque haec sunt, inter hos poetas certe primum locum sibi uindicat **Archilochus** iambicus (saec. VII), quem olim quasi secundum patrem poesis post Homerum celebrabant: illum in laudando, hunc in uituperando principem fuisse. Qui suis iambis tamquam telis usus esse dicitur, quod maxime elucet ex eis quae de Lycambe eiusque filia narrantur; testantur etiam nonnulla fragmenta. In disticho elegiaco autem se et Martis clientem et a Musis donatum fatetur, in alio uersu se, si uino quasi fulmine tactus sit, edere dithyrambos posse. Magis mirum est quod **Solo** Atheniensis (flor. 600 a.C.) legum lator et elegiarum scriptor Musas uocat, ut sibi praeter bonam famam diuitias dent sine iniuria partas (13 W.). Elegis autem utitur ut sua in re p. gesta defendat; est etiam, ut Hesiodus in *Operibus*, praeceptor morum. Poetarum mendacia reprehendit (29 W.), unde est prouerbium Πολλα ψευδονται αοιδοι.

18. Irene Behrens: *Die Lehre von der Einteilung der Dichtkunst : vornehmlich vom 16. bis 19. Jhdt.*, 1941

19. Ernst-Richard Schwinge: „Griechische Poesie und die Lehre von der Gattungstrinität in der Moderne“, *A&A* 27, 1981, 130-162

20. Hans Färber: *Die Lyrik in der Kunsttheorie der Antike*, 1936

21. Herwig Görgemanns: „Zum Ursprung des Begriffs ‚Lyrik‘“, in: M. v. Albrecht / W. Schubert (edd.), *Musik und Dichtung*, 1990, 51-61

22. Andreas Bagordo: „Lyrik“, in: B. Zimmermann (ed.), *Handb. d. griech. Lit. der Antike*, Bd. 1, 2011, 124-249

**12.** Longissimum carmen elegiacum scripsit **Theognis** Megareus (saec. VI/V, multis postea admixtis). In quo Cyrno puero cuidam praecepta dat de bonis moribus, non sine sui commodi respectu. Nam quod Cyrnum ubique nominet, id quasi magnum beneficium iactat (237-254): dedisse se puero alas quibus etiam trans mare uolaturus sit, praesens in omnium conuiuuiis; ne in Orco quidem perituram esse hanc famam, ut nomen Cyrni sit indelebile et ipse „posteritati carmen“ fiat, dum mundus duret. Magna uerba, quae desinunt in querimoniam paene ridiculam: „Haec ego praestiti tibi, at tu me non ueris, sed mihi uerba das ut infanti.“ Fuit ergo amator Theognis, qui hac promissa immortalitate amoris sibi quoddam praemium sperauit. – Idem fere eodem tempore de suis carminibus promittit **Ibycus** lyricus (PMG 282 Page): Polycratem suum dicit olim inter heroes Homericos immortalis fama fruiturum, quod ab Ibyco celebratus sit. Fortasse huc pertinet etiam quae **Sappho** in lyricis mulieri cuidem uaticinatur (55 L.P.): „Tu, si mortua eris, iacebis nec tui erit memoria, quoniam non particeps rosarum Pieriarum es.“ Homines docti rosas Pierias sic interpretantur, quasi Sappho de sua immortalitate dicat, sed quoniam id ab his ueteribus poetis dici non solet, Sappho potius putanda est spectare ad puellas suis carminibus cantatas. Quae sententia certe lyricorum maxime propria est.

23. Wilfried Stroth: „Die Unsterblichkeit des Besungenen“, in: W. St., *Die römische Liebeselegie als werbende Dichtung*, 1971, 235-249

## De arte poetica

### Schola V: De Pindaro. De poesi reprehensa et defensa. De Aristophane.

**13.** Lyricam solent nunc omnem diuidere in monodicam et **chorodicam**. Qui autem choris scripserunt poetae multo plus de poesi dicere solent quam ceteri. Nec mirum. Vendebant enim magnam partem carminum; oportebat igitur artis poeticae uim ac uirtutem augere. Iam Simonides (s. VI/V a.Ch.), qui auarus fuisse traditur, uidetur gloriam sempiternam per carmina partam anteposuisse arti sculptoriae (PMelGr 594, 581). Bacchylides uero et praesertim **Pindarus** Thebanus (518-438) pleni sunt talibus suae artis laudibus. Quorum hic, qui propter artificium (et obscuritatem) lyricorum princeps habebatur, plurima scripsit; seruati sunt autem IV libri epinicionum, quibus ille uictores certaminum athleticorum celebrauerat, distributi in Olympias, Pythias, Nemeas, Isthmias (sc. odas). Mittebantur autem in omnes partes Graeciae, ubi publice cantabantur et saltabantur. Hic ille in ipsis carminibus carmina laudat, quae summae uirtuti debeantur – nec pecuniae obliuiscitur. Vt in Nemea VII (11-20) ait maximas uirtutes tenebris manere sepultas, si canticis carerent, quae uerissima laborum praemia essent. Tunc addit obscuriuscule: „Sapientes futuram procellam praeuident, nec decipiuntur a pecunia; diues et pauper simul ad metam mortis ueniunt.“ Quod uetus scholiasta sic explicat: Non debere homines auaros esse, sed pecuniam, quae post mortem nil ualeat, dare poetis, quorum opera duratura sint. Quod Pindarus illustrat Vlixis Homericum exemplo. Ac similia sescentis locis. Etiam Iouem ideo Musas dixit generauisse ut sua opera canticis ornarentur (fr. 31 Sn.). – Dignitatem poetae etiam eo auget quod se dicit Musarum non solum esse alumnum, sed etiam uatem siue prophetam (pae. 6,6; fr.150 Sn.). Sibi autem maxime confidit, quod suam sapientiam (*σοφίαν*) naturae, non alicui arti debeat (Ol. 2,83-92; cf. 9,100).

24. H. Maehler: Die Auffassung des Dichterberufs im frühen Griechentum bis zur Zeit Pindars, 1963, 81-101

**14.** Eodem tempore quo illi illustrissimi lyrici scribebant, extiterunt primi uituperatores poetarum. Nam **Heraclitus** (s. VI/V) Ephesius Homerum et Archilochum loris uerberandos et e ludis eiciendos censuit (22 B 42). Hesiodum autem reprehendit quod ignorauisset diem noctemque idem esse et quod inter malos bonosque dies distinxisset (22 B 57 & 106); nec multarum rerum scientiam, quae in illo fuisset, sapientiam gignere (22 B 40). **Xenophanes** Colophonius (s. VI/V) autem in Homerum Hesiodumque simul inuectus est, cum eos dixit ea quae apud homines turpia essent, dis immortalibus adscribere: furari, adulterare, inter se fallere (21 B 11). Aduersus illa probra defendit poetas **Theagenes** Reginus inuentor interpretationis allegoricae: Aut elementa naturalia nominibus deorum uoluit abscondi aut affectus animi (8 D.K.). Hunc multi secuti sunt, Prodicus Ceus, postea praesertim Stoici. Metrodorus Lampsacenus autem (s. V) hanc rationem a dis etiam in heroes transtulit.

25. Wilhelm Nestle: *Vom Mythos zum Logos* [...], 1940, 21941 (it. 1975), 86-104, 126-152

26. Peter Steinmetz: „Allegorische Deutung und allegorische Dichtung in der Alten Stoa“, *RhM* 129, 1986, 18-30 (postea in: P. St., *Kleine Schriften*, 2000, 159-171)

**15.** Venimus ad scaenicos. Atque **Aristophanes** comoediae princeps (s. V/VI) saepissime ludit Euripidem tragicum, quem non semel etiam in scaenam inducit. Eminent autem eius **Ranae** (actae 405 a.Ch.), quarum protagonista est Bacchus ipse deus tragoediae. Is, cum Euripide mortuo desint poeta ingeniosi, in Orcum descendit, ut illum a mortuis suscitet. Vbi inuenit etiam Aeschylum, cui cum Euripide maxima lis est, quis melior poeta sit. Quam rixam Bacchus diiudicare conatur. Hoc in poetarum certamine primum, quantum scimus, quaeritur quid potissimum poeta efficere debeat. Consentunt autem duo aduersarii eo quod poetae officium credunt homines meliores reddere. Hinc Aeschylus se multo praestare credit quod uiros ad uirtutem bellicam inflammarit, Euripidem contemnit qui mulieres libidinosas effinxerit. Qui sese tamen defendit. Sed tota haec ratio noua est. Quamquam enim iam Hesiodus de moribus praecepit, id ille non inter poetae officia numerauit. Quare haec ratio aut Aristophani ipsi, ut Bruno Snell uoluit, aut potius sophistae cuidam tribuenda est.

27. Bruno Snell: „Aristophanes und die Ästhetik“ (1937), in: B.S., *Die Entdeckung des Geistes* 51980, 111-126

28. Jens Holzhausen: *Padeía oder Paidía: Aristoteles u. Aristophanes zur Wirkung der griech. Tragödie*, 2000

## De arte poetica

### Schola VI: De sophistis et Euripide. De Platone.

**16.** De poetis et arte poetica non nihil disputauerunt etiam **sophistae** (exeunte saec. V), quae tamen inter se uix cohaerent. Ac Protagoras, si Platoni credimus (Prot. 316 D) ueteres poetas inde ab Homero sophistas, i.e. praeceptores hominum fuisse, id tamen dissimulauisse censuit. Gorgias autem in *Helena* miram uim carminum in affectibus commouendis exposuit (VS 82 B 11 § 9); in tragoediis, cum decipiantur spectatores, decipientem iustiozem dixit quam non decipientem, deceptum sapientiozem quam non deceptum (VS 82 B 23). – E tragoediarum scriptoribus unus fere **Euripides** de poeticis agit. Cuius in *Medea* nutrix queritur quod carmina tantum delectationi seruire soleant, non consolationi (190-203). Multis placuit quod Euripides poetam semper laeto animo esse uoluit, ut aliquid bonum gigneret (Suppl. 180-3) et quod Amorem deum etiam ex inductis poetas facere affirmauit (fr. 663 N.<sup>2</sup>): ποιητήν δ' ἄρα Ἔρωσ διδάσκει ...

**17.** Nemo acerbius quam **Plato** tam oratores quam poetas uexauit, quos et a uero et a bono alienos putabat. Dicebat etiam de *ueteri dissensione philosophiae et poeticae* (rep. 607 C παλαιὰ διαφορά). Ac primum iam in *Apologia*, qua Socrates Platonis magister sese in capitis iudicio defendit, breuiter irridet poetas, qui sua ipsorum carmina neque intelligant neque explicare possint, cum non scientia aliqua poetentur, sed natura et furore incitati ut uates (22 A-C φύσει τινὶ καὶ ἐνθουσιαζόντες). Quae antea tamen Democritus dixerat (VS 68 B 17/8 optima esse quae scripta sint μετ' ἐνθουσιασμοῦ καὶ ἱεροῦ πνεύματος). Eadem fere in *Ion*: Hoc in dialogo Socrates Ionem rhapsodum cogit fateri se non uera arte Homerum explicare, sed instinctu quodam, cum et ipsi poetae non sani, sed diuino furore moti dicant (533 D-536 D). Eos autem putat (quasi Pindarum secutus) interpretes deorum, rhapsodos autem interpretum interpretes. Ac comparat illos magnetibus qui suam uim interpretibus tradant, interpretes rursus audientibus: poetas ipsos esse leues, uolucres, sacros. Quibus ut diuinitus inflammatis in *Menone* (99 D) etiam gubernatores ciuitatum (per ironiam) adnumerat. In *Phaedro* denique Socrates quattuor genera utilis furoris distinguit: uaticinantium, religiosorum, poetantium, amantium i. e. philosophantium (244 A sqq.). Frustra adire poetam Musarum fores dicit, si furore careat. Similia etiam in *Legibus* (719 C): poetas diuinitus instinctos saepe sibi contraria dicere.

29. Hellmut Flashar: *Der Dialog Ion als Zeugnis Platonischer Philosophie*, 1958

30. Michael Erler: *Platon*, in: H. Flashar (ed.), *Die Philosophie der Antike*, uol. 2/2, 2007

31. Chr. J. Steppich: *Numine afflatur: Die Inspiration des Dichters im Denken der Renaissance*, 2002

**18.** Aliter agit Plato in *De re publica* libris. Hic Socrates, ut iustitiae naturam cognoscat, sibi cogitatione fingit aliquam rem publicam, cuius tres sunt classes: principum, custodum (s. militum), plebeiorum. E quibus custodes, ait, ut simul mansueti et animosi sint, diligentissima educatione egent, quae duas partes habet: musicam et gymnasticam (II 376 E sqq.). In musica primum pueris narrantur **fabulae**, quae totae falsae sunt ueris tamen admixtis. Hic autem oportet honeste mentiri nec dicere quae Hesiodus aliique de Caelo, Saturno, Ioue hariolentur; nec deorum inter se proelia commissa admittere (etiam si allegorice explicentur). Praecipit autem Socrates poetis, ut in fabulis deos semper dicant bonorum, non malorum causam esse eosque numquam mentiri aut fallere. Maxime autem prouidendum esse (III 386 A sqq.) fabulis recte institutis, ne pueri mortem timeant, ne proni sint in lacrimas aut cachinnos, mendacia nisi publicae utilitatis causa ne admittant et alia. Tunc omnem **poesin diuidit** in narrationem (διήγησις), qua unus loquitur (ut in dithyrambis), imitationem (μίμησις), qua quis aliam personam induit (ut in fabulis scaenicis), denique mixtam (ut in carmine epico). Imitationem ex educatione submouet. In fine autem operis (X 596 sqq.), postquam idearum doctrinam exposuit, ut detrectet poetas, tres **gradus rerum** distinguit exemplo lecti usus: est uerissimus lectus, quem deus fecit; est lectus uisibilis aliquis a fabro ad imitationem uerissimi fabricatus; est lectus ad imitationem uisibilis a pictore delineatus. Vt is igitur tertio gradu a ueritate distat (τρίτος ἀπὸ τῆς ἀληθείας), sic etiam poetae, qui simulacra uirtutis effingant, uirtutem ipsam non attingant. Quare eo nocentiozem esse poesin quo suauiozem Homerumque frustra dici principem educatorum.

32. Joachim Dalfen: *Polis und Poesis: Die Auseinandersetzung mit der Dichtung bei Platon [...]*, 1974

## De arte poetica

### Schola VII: De Aristotelis Arte poetica I.

**19.** Nullius scriptum de hac materia notius est quam **Aristotelis Ars poetica** (*Περὶ ποιητικῆς*). Qua ille Platoni magistro suo non aperte quidem, sed tamen ubique aduersatur. Nam quod is primum (1) furorem ratione carentem obiecerat poetis, tum (2) quod ei animis propter affectus malos nocerent, denique (3) quod ab idearum ueritate tertio gradu remoti essent, Aristoteles contra (1) opera poetica e magna parte in artis praeceptis posita esse docet, tum (2) affectus non omnino malos esse, denique (3) poesin tam prope ad ueritatem accedere ut quodam modo philosophiae similis sit. Ac plurimorum sententia *Artem poeticam* eo tempore scripsit, quo ipse in Academia erat et docebat, quasi supplementum *Artis rhetoricae*. Nimirum orta esse uidetur ex eis scholis, quas tum habebat, ut sit inter **scripta esoterica** (s. acroamatica) non editioni publicae destinata. Seruatus autem nobis est liber primus, secundus periit (in quo agebatur de comoedia). Quem tenemus librum tres habet partes: I. de quaestionibus uniuersis, praesertim de imitatione (1-5), II. de tragoedia (6-22), III. de carmine epico (23-26). Quae autem dicit, modo in descriptione poesis qualis tunc erat, modo in praeceptis uersantur.

33. Arbogast Schmitt (transl., comm.), *Aristoteles Poetik*, 2008

34. D. Lanza (ed.), *La Poetica di Aristotele e la sua storia*, 2002

35. Hellmut Flashar, „Aristoteles“, in: Flashar (ed.), *Die Philosophie der Antike*, t. 3, 2004, 317-324, 433-438

36. Idem (H. F.), *Aristoteles: Lehrer des Abendlandes*, 2013, 154-183

**20.** Vt iam exposuimus (sch. I 2), Aristoteles poesin non numeris s. metris a prosa distinguit, sed **imitatione**, q.d. μίμησις (quod ex parte iam Plato uidit), quam semper uult esse agentium. (Quare carmina didactica excludit). Nec tamen omnem imitationem poesin dicit, quoniam illa **in** tribus fieri solet: in numeris, ἐν ῥυθμῷ (1), in uerbis, ἐν λόγῳ (2), in modis s. Modulatione, ἐν ἀρμονίᾳ (3). Vnde septem ait nasci imitationum genera: epicum (1,2), tragicum (1,2,3), comicum (1,2,3), dithyrambicum (1,2,3), auleticum s. tibiale (1,3), citharisticum (1,3), orchesticum s. saltatorium (1). Secundam diuisionem ducit ex eo **quos** quisque (i.e. quas personas) poeta imitetur. Sunt autem ingenui, σπουδαῖοι (in epicis et tragicis) aut uiles, φαῦλοι (in comicis); sed etiam in singulis generibus poetae inter se differunt. In tertia diuisione, qua quaeritur **quomodo** poeta imitetur, sequitur Platonem (sch. VI 18): imitari poetam aut narratione, ἀπαγγέλλων, aut actione (Plato: imitatione), δρῶν, aut utraque. Atque haec ratione distinguit, tunc historicorum modo explicat.

**21. Initia poesis** a natura humana repetit, cui imitatio ipsa grata sit: etiam modulationem et numeros quasi ingenitos esse. Sic poesin ortam e subitis conatibus (quae αὐτοσχεδιάσματα dicit), in partes digestam autem secundum mores poetarum: meliores ad honestas actiones inclinauisse, peiores ad uiles. Vnde encomia hymnosque ab illis, uituperationes ab his fabricatas, potissimum iambis. Homerum autem, qui utrumque coniunxerit, in *Iliade* et *Odyssea* quasi figuram tragoediae praescripsisse, in *Margite* comoediae. Tum autem, cum **tragoediae comoediaeque** iam exitissent, quia ea opera illustriora uiderentur, et epicos et iambicos poetas ad haec noua transisse. Comoediam autem et tragoediam ortas esse alteram ex eis qui in dithyrambis, alteram ex eis qui in carminibus phallicis praecinissent. (Vbi nunc uiri docti dubitant quid cui adscribendum sit.) Deinde utramque auctam esse, tragoediam autem post multas mutationes constitisse, cum *ad suam naturam* peruenerit (1449 A 15 ἔσχε τὴν αὐτῆς φύσιν). Mutationes autem nonnullas explicat: de choro, de numero actorum, de scaenae apparatu, de lingua metrisque.

37. Jürgen Leonhardt: *Phalloslied und Dithyrambos: Aristoteles über den Ursprung des griech. Dramas*, 1991

**22. Comoediam** dicit peiorum (actionum aut personarum) imitationem, non tamen ut ea omne malum imitetur, sed ridiculum (γελοῖον) modo: quae ea pars est turpitudinis, quae dolore et pernicie careat (ut sannas i.e. distortos uultus hominum ridemus, quas non dolor expressit). Quam definitionem pauci postea emendare potuerunt. Quomodo autem progressa sit comoedia magis latere dicit quam quomodo tragoedia, quod illa minus conspicua fuerit; Athenis certe primum Craten iambica forma relicta argumentis suas fabulas s. dramata instruxisse. Tragoediam autem simillimam esse epico carmini, nisi quod metris et spatio inter se differant.

## De arte poetica

### Schola VIII: De Aristotelis Arte poetica II

**23. Tragoediam** Aristoteles maxime curat. Cuius primum ponit **definitionem** (c. 6): *Tragoedia est imitatio actionis seriae et absolutae, magnitudinem habentis, sermone iucunde condito [...] in agentibus non in narratione posita, per misericordiam et timorem (δι' ἐλέους καὶ φόβου) efficiens talium affectuum purgationem (κάθαρσιν)*. Atque hic et de *miseriordia* (s. *commotione*) ac *timore* (s. *terrore*) praesertim de *affectuum purgatione* acerrime disputatum est. Estne is genetiuis obiectiuus, ut affectus ipsi purgentur i.e. quodammodo leniantur, an separatiuis, ut spectator ab affectibus purgetur siue liberetur? Hoc si uerum est, aut omnino tolluntur affectus aut per purgationem quasi medicam eiciuntur. Quam interpretationem nunc praeualentem primus defendit Iacobus Bernays (cuius *catharsin* in animorum curationem trantulisse uidetur Sigmundus Freud, Iacobi affinis). Certe haec purgatio non ad mores emendandos spectat, sed magis ad uoluptatem quandam. Aduersari tamen uidetur Aristoteles Platoni, qui affectibus tragicis augeri affectus spectatorum eorumque animos molliri peioresque fieri crediderat.

38. Jacob Bernays: *Grundzüge der Abhandlung des Aristoteles über das Drama*, 1857

39. Franz Dirlmeier: „KATHARSIS PATEMATON“, *Hermes* 75, 1940, 81-92

40. Wolfgang Schadewaldt: „Furcht und Mitleid?“, *Hermes* 83, 1955, 129-171

41. Matthias Luserke (ed.): *Die aristotelische Katharsis: Dokumente ihrer Deutung im 19. u. 20. Jhdt.*, 1991

**24.** Deinde exponit sex quasi **partes** tragoediae, i.e. ea quae illam constituent. Quorum primum est *argumentum* (*fabula, μῦθος*) i.e. compositio rerum, quam animam et finem tragoediae dicit, rem maxime necessariam. Secundum locum habent *mores* (*ἥθη*), sequuntur *elocutio* (*λέξις*), *sententia* (*διάνοια*), *spectaculum* (*ὄψις*), *modulatio* (*μελοποιία*). Minime ad artem pertinere dicit spectaculum, cum tragoedia etiam sine histrionibus suam uim habere possit. Copiosissime de **argumento** disputat (c. 7-14), cuius primam uirtutem dicit, ut actio absoluta et tota sit non sine magnitudine quadam (7), deinde ut sit simplex atque una (8). Quam uirtutem etiam in carmine epico desiderari ait, cum poetae quidam de plurimis ab aliquo actis (uelut in *Theseide*) scribunt; contra Homerum optime in utroque carmine unam sibi actionem elegisse.

**25.** In argumentis maxime spectandum esse, ut ueri similia aut necessaria sint quae agantur (c. 9); neque enim poetae esse quae facta sint dicere, sed qualia fieri possint. Addit sententiam grauissimam: Meliorem esse **poesin** quam **historiam** propiusque accedere ad philosophiam, quod historia singula quaeque, poesis magis generalia s. uniuersa quaerat. (Vbi aperte Platonem impugnat, qui poesin longe a ueritate remouerat.) Quod manifestum esse in comoediis, quae differant ab iambis quod fictas personas, non notas, inducant. Sed ne in tragoediis quidem necesse esse notis personis traditisque fabulis uti. Ex argumentis pessima dicit quorum episodica non satis cohaereant; optima in quibus timenda et miserabilia contra expectationem sed necessario eueniant. Distinguit etiam argumenta *simplicia* et *implexa* (c. 10/11 μῦθοι ἀπλοῖ, πεπλεγμένοι): haec habere *περιπετείας* (*conuersiones*) et *ἀναγνωρίσεις* (*recognitiones*), illa eis carere; addit tertium etiam affectum (*πάθος*). (Ac semper laudat *Oedipodem* Sophoclis.) Hic inculcat breuiter **partes**, in quas distribuatur tragoedia (c. 13): Sunt autem in omnibus tragoediis *prologus*, *parodus*, *episodium* (= *actus*), *stasimum*, *exodus*; accedunt in quibusdam *cantica scaenica* et *planctus* (actorum et chori).

**26.** Tunc ad argumenta et affectus tragicos redit, i.e. **timorem et misericordiam** (c. 13). Quos effici maxime, cum aliquis a bona fortuna in malam cadat. Eum autem debere esse nec uirtute optimum neque malitia pessimum; nam illud inhumanum uideri, hoc non afferre timorem aut misericordiam. Optimam esse fabulam cum homini mediocri infortunium eueniat idque fiat non propter malitiam insignem, sed errorem quandam. (Laudat autem Euripidem ut maxime tragicum, cuius fabulae plurimae in malam fortunam uergant.) Peiorem esse in qua duplici euentu boni praemia accipant, mali puniantur (ut in *Odysee*), etsi id gratissimum sit theatris.

42. Kurt v. Fritz: „Tragische Schuld und poetische Gerechtigkeit [...]“, in: *Antike und moderne Tragödie*, 1962



## De arte poetica

### Schola IX: De Aristotelis *Arte poetica* III. De philosophis et grammaticis.

27. Multa addit monita, quomodo per dramatum argumenta affectus tragici excitentur (c. 14). Tunc transit ad partem secundam, i.e. **mores** (c. 15). Quos fingendos esse dicit probos, aptos, similes, inter se constantes. Postea redit ad **argumenta**. Adiungit enim sine certo ordine multa de anagnorisium sex generibus (c. 16), de nexu et solutione (c. 18), de chori officio, quem uetat embolima canere. Vno loco genuina praecepta dat **poetae** (c. 17). Quem admonet primum ut omnia quae in scaena agantur sibi ante oculos ponat, deinde ut ipse affectus sentiat agentium. Quo loco optimos eos poetas dicit qui et indolis bonae et ecstatici i.e. ad furorem proni sint. Suadet autem poetae ut primum totius tragoediae argumentum ponat, tum singulas partes exornet. Quae de **elocutione** addit (c.19-22) e magna parte non magis ad poeticam quam ad grammaticam et rhetoricam pertinent. Virtutes elocutionis eas praecipuas statuit, ut dilucida neque humilis sit. Ingeniosi esse poetae praecipue metaphoras inuenire.

28. **Carminis epici**, quod in ultima parte tractatur (c. 23-26), nulla exhibetur definitio. Habet id enim plurima cum tragoedia communia: Imitatur actionem totam et absolutam, quo differt ab historia – hic quoque Homerus summus artifex dicitur –, continet peripetias et anagnorises, homines meliores effingit. Differt magnitudine, quod plura simul acta comprehendit, et numeris, quoniam hexameter narrationi unice aptus uidetur. Praeterea caret modis musicis et spectaculo; quare mirabilia facilius admittit. Nonnullos epica tragicis praefere dicit, quod ars histrionum aliquod uulgare habeat. Contra Aristoteles, qui tragoediae uim ac uoluptatem pendere e scaena non putat, eam potiore existimat quod breuior magisque unius actionis sit.

29. Studia artis poeticae etiam post Aristotelem apud **Peripateticos** aliquatenus floruerunt. Sub nomine ipsius magistri seruata, sed ab aliquo discipulo scripta sunt *Problemata physica*, ubi de melancholia poetarum disputatur (30,1). Ac de musica maxime meritis est Aristoxenus Tarentinus qui *Elementa harmonica* et *Elementa rhythmica* scripsit. Perierunt Theophrasti *De poetica* et alia scripta. Vitas poetarum tractauit Chamaeleon. *De poetis* dialogum confecit Praxiphanes. Nomine quidem notissimus est Neoptolemus Parius, quoniam eum in *Arte poetica* secutus esse Horatius traditur. Ex **Academicis** unus Heraclides Ponticus nominandus uidetur. **Stoicos** summa ueneratione Homerum coluisse discimus, praesertim e Strabone geographo (1,2), qui Eratosthenem reprehendit quod Homero delectationem concesserit, doctrinam ademerit: fabulis poetarum pueros qui ueritatem capere non queant, excitari ad studia spientiae. Quare Stoici adhibebant interpretationem allegoricam, quae nobis maxime e Cornuto (qui tempore Neronis docebat) et ex Heraclito quodam notus est. Ac primus philosophorum Cleanthes scholarcha Stoicorum ipse poeta fuit, qui *In Iouem* hymnum scripsit allegoricum. Et quamquam **Epicurus** cum omnem educationem liberam tum poetas contempsit, fuerunt poetae etiam Epicurei: Lucretius, Philodemus Gadareus.

43. Peter Steinmetz: „Allegorische Deutung und allegorische Dichtung in d. alten Stoa“, *RhM* 129, 1986, 18-30

44. Ilaria Ramelli (ed.): *Allegoristi dell' età classica: Opere e frammenti*, 2007

45. Barbara Beer: *Lukrez und Philodem: Poetische Argumentation und poetologischer Diskurs*, 2009

30. Etiam magis quam philosophi his studiis dediti erant **grammatici**, quorum ars posita erat in (1) recte loquendi scientia, (2) poetarum enarratione (Quint. inst.1,4,2). Colebatur autem maxime Alexandriae, ubi Ptolemaeus I. rex condiderat *Museum* et Bibliothecam illustrissimam, quae a bibliothecariis doctissimis dispensabatur, quorum duo etiam ipsi poetae erant: Apollonius Rhodius et Eratosthenes. His adnumerari solet poeta suo tempore paene celeberrimus, **Callimachus** Cyrenaeus. Qui praeter *Pinaces* i.e. omnium scriptorum catalogum multa carmina fecit, e quibus nobis sex hymni multaque epigrammata seruata sunt. Notissima autem eius erant *Aetia* (i.e. *Causae*), quibus ille originem festorum et sacrorum explicauit. In prooemio autem, quam rationem in poetando Apollo sibi praeceperit, exponit.

## De arte poetica

### Schola X: De Callimacho eiusque sectatoribus

**31.** Nihil fere e tota poesi *hellenistica* q.d. tot lectores habuisse uidetur quam illud *Aetiorum Callimachi* prooemium (Αἴτια, fr.1 Pfeiffer). Quod in tres partes diuiditur: I. (= 1-6) Telchines poetam reprehendunt, quod in uersibus plurimis non *unum perpetuum* (διηνεκές) *carmen* in reges heroesue perfecerit, sed, cum senex sit, in minoribus uelut puer ludere soleat. II. (= 7-20) Contra poeta se amatorem esse *paucorum uersuum* (ὀλιγόστιχος) fatetur, quod exemplis Mimnermi et Philitae probat: in carminibus enim *artem* (τέχνην) quaerendam esse, non magnitudinem. Tonare Iouis esse, non suum. III. (21-32) Id enim praecepisse sibi Apollinem, cum poetari coeperit: primum uictimas quidem opimas, sed *Musam tenuem* (λεπτάλην) esse debere; deinde *uias uulgo placitas* uitandas esse. His monitis obsecutum se dicit cicadarum carmina praeferre ruditui asinorum. Sequitur epilogus quidam, in quo etiam de molestiis senectutis pauca queritur, Musis tamen se confidere dicit. Deinde [fr. 2 Pf.] narrat de somnio quod adulescens uiderit: sibi in Heliconem abrepto Musas obiuam uenisse et respondisse de *aetiis*, i.e. de causis sacrorum. Vbi Hesiodi mentio fit, cuius ad exemplum se ex *Hippucrene* (Ἴππου κρήνη) bibisse fingit. – Disciplinam autem illam, qua carmen gracile laudatur, pingue spernitur, etiam aliis locis profitetur: epigr. 27 (de Arato), 28 (de poetis cyclicis), hymn. Apoll. 105-113 (de Euphratis sordibus); fr. 465 (de magno libro); fr. 398 (de Lyde crassa Antimachi).

46. Ernst Howald / Emil Staiger (ed.): *Die Dichtungen des Kallimachos*, griech. u. dt., 1955

47. Athanasios Kambylis: *Die Dichterweihe und ihre Symbolik*, 1965, 69-123

48. Rudolf Pfeiffer, *Geschichte der klassischen Philologie: von den Anfängen [...]*, 1970 (angl. 1968), 156-190

49. Adolf Köhnken: „Kallimachos“, in: H.H. Schmitt / E. Vogt (ed.), *Lexikon des Hellenismus*, 2005, 506-512

50. Gyburg Radke: *Die Kindheit des Mythos [...]*, 2007, 273-281 (paulo obscurior)

51. Doris Meyer: „Kallimachos“, in: B. Zimmermann / A. Rengakos, *Die Lit. d. klass.u. hellenist. Zeit*, 2014, 64-84

**32.** Doctrinam Callimachi ex aequalibus fideliter sequitur **Theocritus** in *Bucolicis* (7,45-48). Tunc ea maxime placuit Romanis. Vt **Catullus** in c. 95, ubi *Zmyrnam* Helui Cinnae summo studio elaboratam opponit Hortensi uersibus permultis nimis incuriose effusis. Ipse quoque Callimachum uertit (c.66) et imitatur (c. 64, 65, 68 B); neque ob eam rem ubique Callimachum sequi putandus est: alioquin non sua polymetra *nugas* dixisset (1,4). *Aetiorum* prologum paene ad uerbum imitatur **Vergilius** in ecl. 6,3-5, ubi se ab Apolline monitum *carmen deductum*, i.e. tenue praeferre pingui dicit (quod genus carminis nunc „recusationem“ dicunt). Paene ubique Callimachi discipulum se profitetur **Horatius**. Iam in primis *Saturis* Lucilium antecessorem suum reprehendit, quod nimis multa sine labore limae, sine arte scripserit; se autem non omnibus, sed doctissimo cuique placere uelle (1,4,6-23; 1,10,1-3. 50 sqq.). In *Arte poetica* autem uituperat Accium, Ennium, Plautum quod artem metricam Graecorum ignorantia artis neglexissent (258-274) omnesque dicit adhuc litteras Latinas eo laborare, quod poetas *limae et labor* offendat (289-294); ubi irridet eos qui *ingenio* prae *arte* confidant (296 sqq.). Callimacheum quodammodo se etiam in *Odis* dicit, ubi sibi *spiritum Graiae tenuem Camenae* adscribit et *malignum spernere uolgus* (2,16,37-40; cf. 4,2,37-32). Non tamen huc omnino spectant carmina quibus bella canere recusat (1,6: 2,12; 4,15).

52. Walter Wimmel: *Kallimachos in Rom: die Nachfolge seines apologetischen Dichtens [...]*, 1960

**33.** Apertius Callimachum **Propertius** sequi uidetur, qui illum nomine non semel appellet suo (addito interdum Phileta Coo). Vnde illa peruetus opinio exstitit iam a poetis Alexandrinis id genus elegiarum quod Romani inde a Gallo coluerunt celebratum esse. Quam iam a. 1905 feliciter refutauit Felix Jacoby, qui ea causa Propertium hoc nomine usum demonstrauit, ne ipse cogeretur carmen epicum scribere. (Id eum enim Maecenas Augusti amicus flagitabat.) Callimacho duce certe id officium recusat seque ipse excusat in el. 2,1; 3,1; 3,3; 3,9. In aliis autem carminibus (2,13) se dicit ideo Callimachum sequi, ut amicae doctissimae placeat (2,13), quoniam talia carmina in amore prosint (2,34). Contra **Tibullus** Callimachum nusquam nominat; **Ouidius** eum minoris facere uidetur, cum dicit: *quamuis ingenio non ualet, arte ualet* (am. 1,15,14). Laudat certe Cydippen (rem. 381 sq.) ut exemplum elegiae amatoriae: *Callimachi numeris non est dicendus Achilles, / Cydippe non est oris, Homere, tui*.

53. Felix Jacoby: „Zur Entstehung der römischen Elegie“, *RhM* 60, 1905, 38-105

## De arte poetica

### Schola XI: De Romanorum poetis uetustis; de carmine epico, scaenico, satirico

**34.** *Serius poeticam nos accepimus*, Cicero ait (Tusc. 1,3). Ac tres quasi **conditores** poesis Romanae extiterunt: Liuius Andronicus (Tarentinus), Cn. Naevius (Campanus), Q. Ennius (Calaber); qui cum humili condicione nati essent et poeticam et grammaticam exercebant; neque natu Romani erant nec Latine a matre didicerant. Quorum Liuius et Naevius paucissima de poetica dixerunt, qui tamen more Graeco in carminibus epicis **Musas** aut Musam inuocauerunt (quam Liuius antiquius *Camenam* uocat). Ennius autem cum sic appellat: *Musae quae pedibus magnum pulsatis Olynpum*, gloriari uidetur quod ipse *pedes* hexametri, qui in uersu Saturnio non fuerant, in carmen epicum induxerit. Ac Musarum inuocationem posterius poetae in epicis secuti sunt (Ouidio et Lucano exceptis); nouo more Vergilius (georg. 2,475 sq.) et Horatius (carm. 3,1,3) se Musarum sacerdotes dicebant. Poetae autem primum *scribae* uocabantur (erat etiam inde ab a. 207 in Auentino *Collegium scribarum et histrionum*). Graecum titulum *poetae* usurpauit primus fortasse Naevius, tunc certe Ennius quique secuti sunt, nisi quod quidam Augusta aetate se *uates* dici malebant, quod nomen Varro uetustissimum putabat (ling. 7,36) nisi uersu Enniano (ann. 214): *uersibu' quos olim Fauni uatesque canebant*.

54. Friedrich Leo: *Geschichte der römischen Literatur*, uol. 1: *Die archaische Literatur*, 1913 (it. 1967)

55. Hellfried Dahlmann: „Vates“ (primum 1948), in: H.D., *Kleine Schriften*, 1970, 35-51

56. Werner Suerbaum: *Untersuchungen zur Selbstdarstellung älterer römischer Dichter* [...], 1968

57. Idem (ed.): *Handbuch der lateinischen Literatur der Antike*, uol. 1: *Die archaische Literatur* [...], 2002

58. Wilfried Stroh: „Vergil und Horaz in ihren prophetischen Gedichten“, *Gymnasium* 100, 1993, 289-322

**35.** Inter uetustiores de poetica fere unus scripsit **Ennius**. Qui in prooemio *Annalium* Callimachum imitatus sibi in somno uisum esse Homerum narrauit eumque sibi rerum naturam exposuisse ipsiusque animam in se transisse (Lucr. 1,116-126, Schol. Pers. prol. 2). Gloriosius ipse sua carmina iactauit: coronam (fortasse lauream) ex Helicone detulit et immortalem famam sibi arrogauit: *uolito uiuo' per ora uirum* (uar. 18). Quod nemo e Graecis poetis ausus erat (qui aliis immortalitatem promittebant, non sibi), Romani multi imitati sunt (Hor. carm. 2,20; 3,30; Prop. 3,1; Ou. am. 1,15 et saepe). Patroni eius primum erant Scipiones, quorum honorem auxerat, tum M. Fuluius Nobilior, qui eum a. 189 in expeditionem Aetoliam secum duxit, ideo in *Annalibus* celebratus, et ciuitate donauit. Idem *Templum Herculis Musarum* dedicauit. Cui aduersatus est Cato censorius contemptor omnis poeticae.

**36.** E scaenicis nil tale habent tragici, plus **comici** in prologis. Vt Plautus in *Amphitruone* Mercurium inducit dubitantem, utrum fabulam tragoediam nominet an comoediam, quoniam in ea et reges et serui uersentur; constituit denique *tragicomoediam* appellare, quae uox a Plauto fortasse inuenta usque ad nos peruenit. De aliis Terentius disputat. In cuius comoediis persona *Prologi* poetam defendit contra aduersarios, qui ei obiecerunt quod in fabulis scribendis et adiuuaretur ab aliis et quod comoedias contaminaret (Andr. 16), i.e. Graeca exempla non intacta seruaret. Quod respondet se fecisse ad imitationem Naevi et Plauti. Sin autem in Latinis comoediis furtum fecisse arguatur: *nullumst iam dictum quod non dictum sit prius* (Eun. 41). Ab his prologis Terenti certe poetica genuina Romana oritur; et *imitationis* notio nouata est: Quae apud Graecos ad actiones spectabat, nunc facta est imitatio exemplorum.

59. Hellmut Flashar: „Die klassizist. Theorie der Mimesis“, in: H.F. (ed.), *Le classicisme à Rome*, 1979, 79-97

**37.** **Lucilius saturae** inuentor in carminibus Accium tragicum propter tumorem castigauit; ipse in lib. IX etiam grammaticas quaestiones tractauit: ut distinxit inter *poesin* et *poema*. Nil tamen dixit de sua ratione saturas scribendi. Eo plus **Horatius**, qui Lucilium, quamquam ut negligentem reprehendit, laudat quod more ueteris comoediae homines uitiosos carperit (sat. 1,4). Suum esse uult *ridentem dicere uerum* (sat. 1,1,24). Quod *sermoni propiora* dicat, poetam se negat (sat. 1,4,39 sqq.); opus saturae tamen difficillimum iudicat (sat. 1,10).

## De arte poetica

### Schola XII: De Romanorum carmine iambico, lyrico, elegiaco, didactico

**38.** Vt a Graecis sic a Romanis **iambus** dicitur tam pes metricus quam carmen maledicum. Vnde Catullus saepe suos hendecasyllabos lyricos *iambos* uocat (ut 36,5 *truces uibrare iambos*). Iambica autem maledictio a satyrica eo differt quod magis ultionis quam derisionis causa instituitur. Vt Hor. epod. 6,11 sq.: *caue, caue, namque in malos asperrimus / parata tollo cornua, 15sq. an [...] inultus ut flebo puer?* (Nominat ut exempla Archilochum et Hipponactem.) Iambi aut puri sunt aut spondeis mixti aut scazontes (choliambi). – **Lyrici** carminis sui materiam Horatius dicit (c. 1,6,17) *conuiuia et proelia uirginum*, i.e. amores, quos cantet seu uacuuus ipse siue amore captus; in *Arte poetica* omnem lyricam diuidit in hymnos, epinicia, amatoria, conuiuialia (83-85). In quarto libro *Odarum* more Graecorum immortalitem per carmina redditam laudat (4,8,29 *caelo Musa beat*), quod etiam ad Herculem Bacchumue pertinere dicit. Paene nouum est quod praecepta moralia dat, praesertim in *Odīs Romanis* q.d. (c. 3,1-6), obsecutus fortasse Stoicis, qui poetas educatores iuuentutis esse uoluerant (cf. ars 391-401; epist. 2,1,128-131). Id plane nouum excogitauit, quod interdum in *odis* ipsis se furore poetico correptum fingit (c. 3,25; cf. 2,19; 3,4). Commune cum Graecis habet quod lyrica semper cum lyra siue modis musicis coniungit. Sic ipse *Carmen saeculare* suum pueros puellasque ad lyram docuit (c.4,6,35sq. *seruate[...] mei [...] pollicis ictum*).

60. Richard Heinze: „Die horazische Ode“ (pr. 1923), in: R.H., *Vom Geist des Römertums*, <sup>3</sup>1960, 172-189

61. Günther Wille: *Musica Romana: Die Bedeutung der Musik im Leben der Römer*, 1967, 237 sqq.

**39. Elegiam** siue elegos Romani Graecos secuti e querimonia deriuauerunt (Hor. ars 75 sq., cf. Ov. am. 3,9,4; epist. Sapph. 7). Quare pars elegiaca corporis Catulliani a lamentatione incipit (65; cf. 66; 68 A); et primus Propertius liber plurimas querelas habet. (Sic nos quoque uerbis „Elegie“ siue „elegisch“ utimur.) Tamen hic Romani nouatores extiterunt, primum quod inde a Cornelio Gallo amatoriam materiam aptissimam elegiae statuerunt, deinde quod ei nouum finem posuerunt: fingunt enim se ideo carmina scribere, ut eis amicam capiant siue sibi concilient. Sic aperte Tibullus (2,4,19sq.): *Ad dominam faciles aditus per carmina quaero: / ite procul, Musae, si nihil ista ualent!* Similiter Propertius et Ouidius. Via ac ratio autem, qua puellas mitigant, diuersa est: aut enim curant poetae ut sua carmina amicae per se ut iucunda placeant, aut ut blandiendo persuadeant (maxime in Prop. 1,8), aut ut immortalitate per Musas promissa eam moeant. Quae ex his uera sint, quae ficta, difficile dictu est. Certe huc tendunt, ut hos poetas magis amori deditos quam poesi ac Musis credamus. Quas certe nusquam laudant quod se in amoris doloribus consolentur. – Hanc rationem aliquatenus etiam Ouidius exul Tomitanus sequitur. Vtitur enim Musis suis ut amicos et uxorem ad auxilium uocet, Augustum ipsum mitiget – frustra, ut uidetur. Hic tamen etiam Musam quasi consolatricem aduocat (trist. 4,10,117): *gratia, Musa, tibi, nam tu solacia praebes ...*

62. Max Rothstein (ed.): *Propertius Sextus: Elegien, erklärt*, 2 uol., <sup>2</sup>1920/24 (it. 1966)

63. Wilfried Stroth: „Die Ursprünge der römischen Liebeselegie [...]“, *Poetica* 3/4, 1983, 205-246; cf. nr. 23

64. Id.: „Tröstende Musen: Zur literarhistorischen Stellung und Bedeutung von Ovids Exilgedichten“, *ANRW II* 31(4), 1981, 2638-2684

**40. Didacticum carmen** hoc nomine apud ueteres (Diomedes grammatico excepto) caruit. Quo nos comprehendere solemus Lucretium, Vergili *Georgica*, Horati *Artem poeticam*, Ouidi *Artem amatoriam*, Manilium aliosque. Qui tamen modo praeceptionis inter se diuersi sunt. Nam Vergilius, Horatius, Ouidius praecepta dant agendi (ut Hesiodus in *Operibus*); Lucretius et Manilius (Empedoclem secuti) more philosophorum rerum naturam aut totam aut ex parte declarant. Commune habent quod hexametris ut Graeci utuntur – praeter Ouidium et Terentianum Maurum. Id quoque eis commune est quod non Musas inuocant, sed eos deos qui ad quamque materiam pertineant: Lucretius Venerem, Vergilius deos rusticos, Manilius Augustum: Ouidius Musas etiam aperte amouet (1,27-30), quibus usum substituit; Horatius nil tale habet. De utilitate uersuum in re arida, non iucunda unus dicit Lucretius (4,11-25).

65. Bernd Effe: *Dichtung und Lehre: Untersuchungen zur Typologie des antiken Lehrgedichts*, 1977

66. Katharina Volk: *The poetics of Latin didactic: Lucretius, Vergil, Ovid, Manilius*, 2002

## De arte poetica

### Schola XIII: De grammaticorum aliorumque poeticae studiis

**41.** Grammatici quoque non nihil poeticae studebant. De prima origine docet **Suetonius** in libro *De grammaticis et rhetoribus* scripto: Livium Andronicum et Ennium simul grammaticos et poetas solum Graeca interpretatos esse et sua quaedam praelegisse. Verum studium grammaticae a Crate Mallote grammatico Pergameno illatum esse in urbem, cum is a. 169 plurimas acroasis, nempe de Graecis litteris, fecisset. Hoc Romanos quosdam imitatos esse eum in modum, ut uetustiorum poetarum carmina retractarent, publice legerent et commentarentur. Tunc primum Naeui *Bellum Poenicum* et Enni *Annales* in libros diuisos esse. Maximum grammaticae auctorem autem Suetonius nominat **L. Aelium Stilonem** equitem, cuius discipuli Cicero et Varro feruntur. Is commentarios scripsit in *Carmen Saliare* et fortasse *XII tabulas*, in quibus multa uerba obsoleta enodanda erant. Confecit etiam *Indicem comoediarum Plautinarum*, in quo e CXXX comoediis traditis solum XXV ut genuinas agnouit. Grammaticas quaestiones autem e poetis tractabant etiam Lucilius et Accius. Versibus *De poetis* scripsit Volcacijs Sedigitus.

67. H. Funaioli (ed.): *Grammaticae Romanae fragmenta*, 1907 (it. 1969); cf. Suerbaum supra nr. 56, 539 sqq.

68. Robert A. Kaster (ed., comm.): *Suetonius de grammaticis et rhetoribus*, 1995

**42. M. Terentius Varro**, quamquam propter doctrinae copiam inter grammaticos non numeratur, multis scriptis, magna e parte perditis, hanc materiam attigit, cum et ipse poeta sc. *Saturarum Menippearum* esset. Praeter XXV libros *De lingua Latina* scripsit libros *De poetis*, *De poematis*, *De comoediis Plautinis*, *De scaenicis originibus*. Nota est eius definitio (fr. 96): *poema est lexis enrythmos [...]. poesis est perpetuum argumentum e rythmis [...]. poetica est ars earum rerum.* - **Cicero** autem in libris *De oratore* scriptis poetam ab oratore distinguit, quod sit *numeris astrictior paulo, uerborum autem licentia liberior; ornandi generibus socius ac paene par* existat; utriusque uero hoc proprium dicit, *nullis ut terminis circumscribat [...] ius suum* (de or. 1,70). Multa de sermone poetico etiam in *Oratore* disputat. In oratione *Pro Archia* uero poesin et carmina magis laudat quam Graecorum quisquam.

69. Hellfried Dahlmann: „Terentius“ (84), *RE* suppl. VI (1935) 1172-1277, uide 1220-1229

70. Helmut /Karl Vretska (comm.): *Cic. Pro Archia poeta: Ein Zeugnis für den Kampf des Geistes [...]*, 1979

**43.** E grammaticis qui Ciceronis aetate fuerunt notus est ex Horatio (epist. 2,1,70) *Orbilius plagosus*, e Catullo aliisque Cato, *qui solus legit ac facit poetas* (Suet. gramm. 11) – qui solum antiquos poetas uenerabantur. Nouos poetas ut Vergilium primus praelegere coepit Caecilius Epirota; aetate Augusta tum floruerunt Verrius Flaccus, Hyginus; postea Remmius Palaemon superbissimus. Integra scripta grammatica nobis seruata sunt inde ab aetate Diocletiani, quorum ordinem ducunt *Artes grammaticae* M. Plotii Sacerdotis (*GL* VI). Eminent autem *Ars minor* et *maior* Aelii Donati (saec. IV, *GL* IV), qui etiam bonos commentarios praesertim in Terentium scripsit. Ad poeticam utilissima est *Ars Diomedis* (saec. IV ex., *GL* I). Is enim omnia carmina per genera et species subtilius digere quam quisquam antea, secutus fortasse Varronem. Distinguit enim inter I. *genus actiuum*, in quo solum personae loquuntur (ut in Verg. ecl. 1), II. *genus enarratiuum*, ubi poeta tantum auditur (ut in Lucretio), III. *genus mixtum* (ut in *Aeneide*). Tunc autem in (I) genere actiuo uariae formae tragoediarum et comoediarum nominantur. In (II) enarratiuo autem tres species ponit: (II 1) *angelicam*, quae habet sententias (ut Theognis), (II 2) *historicam* (ut Hesiodi *Catalogus*), (II 3) *didascalicam* (ut Empedocles, Aratus). Mixti generis primam speciem uult esse (III 1) *heroicam*, alteram (III 2) *lyricam*, cui tribuit Horatium et Archilochum – quod miramur! Tum sine magno respectu huius diuisionis enumerat et accuratius describit haec opera poetica: epos, elegiam, iambum, satiram, bucolica, tragoediam, comoediam, fabulam togatam, diuisam in praetextatam et tabernariam, Atellanam, planipedem, satyricam. Multa eorum utilia nobis sunt ad historiam litterarum cognoscendam. – Similem ordinem, sed minus accurate, iam Quintilianus (inst. 10,1,85 sqq.) adhibuerat.

71. Henricus Keil (ed.): *Grammatici Latini*, 7 uol., 1857-1880 (it. 1981); uol. 8 = Suppl., ed. H. Hagen, 1870

72. P.L. Schmidt: „Grammatik u. Rhetorik“, in: R. Herzog (ed.), *Hdb. d. lat. Lit. d. Ant.*, Bd. 5, 1989, 101-158

## Schola XIV:

### De Horatio artis poeticae auctore I

44. Horatius multo plura de arte poetica scripsit quam ullus e poetis antiquis. Vnus etiam maioribus scriptis hanc materiam tractauit. Iam in *Saturis* Callimachum secutus eam legem statuit, quam semper ueneratus est, ut in carminibus expoliendis labore et cura opus esset (1,4; 1,10; 2,1). Alterum est quod iam suas saturas moribus prodesse cupit (1,6 et al.), quod ibi praeceptis Epicureis efficit. In *Epodis* renouat characterem Archilocheum (6) tamquam defensor aut ultor innocentiae. Hic aliter atque elegiaci poetae dicit se ab amore, si in quem incidat, non incitari ad carmina, sed potius impediri (11). Plurima habent *Odarum libri III* de Musis et musica, de lyra bellis non apta, de immortalitate poetae (3,30), qui fines Italiae transuolet (2,20). Hic quoque saepe praeceptor morum existit. In *Epistularum libro I* irridet poetas, qui se, i.e. Horatium, imitentur, bibendo magis quam noua inueniendo; ipse se plausum populi spernere dicit (19); lyricam propter aetatem et philosophiae studium deponit (1); etiam in Homero legendo ut Stoici uitae utilia praecepta quaerit (2). Similiter in *Epistula ad Florum* (epist. 2,2) plures causas affert, cur iam lyrica scribere nolit: modestas diuitias sibi partas, curas strepitusque urbanos, poetarum mutuam adulationem, difficultatem artis poeticae, imprimis curam uitae emendandae. Reuocauit eum ad lyricam certe *Carmen saeculare*, quod denique in urbe celeberrimum reddit (carm. 4,3); Augusto hortante in *libro IV Odarum* bella Drusi ac Tiberi laudat stilo paene Pindari (4; 14), quem tamen imitabilem cuiquam negat (2). Pindarum secutus immortalitatem per carmina uirtuti additam celebrat (8; 9). Sub finem quasi nouum genus lyricae domesticae instituit (15).

73. Charles O. Brink: *Horace on poetry*, I (1963), II (1971), III (1982) [de *Arte poetica* et epistulis litterariis]

74. Niall Rudd (ed., comm.): *Horace. Epistles, book II and Epistle to the Pisones*, 1989

45. Augustus, ut Suetonius testatur, Horatium ualde admiratus *expressit eclogam ad se*, quam nunc dicimus *Epistulam ad Augustum* (epist. 2,1). In qua modo acerbe, modo iocose queritur de populo Romano, qui solos ueteres poetas Romanos adoret (18 sqq.), praesertim scaenicos (55 sqq., 168 sqq.), recentes despiciat. Laudat autem illos poetas propter audaciam et spiritum tragicum, reprehendit quod lituram timeant (166 sq.). Praesertim inridet apparatus luxuriosum scaenae, qui a uerbis poetae animos spectatorum auocet (187 sqq.); commendat Augusto eos potius poetas qui lectoribus scribant (214 sqq.). – His inserit iucundas digressiones: de noua insania poetandi, quae Romanos occupauerit (108 sqq.), de origine poesis Romanae (139 sqq.), quae Graeciae plurima debeat. Grauiissima autem sunt quae de utilitate poetarum statuit (118 sq.): et linguam et mores eos emendare iuuentutis, solacia adferre, chorum instituere ad deos precandos. Hic poetam quasi sacerdotem publicum instituit.

46. *Ars poetica* q.d. usque ad saeculum XVIII uerissima et aeterna omnis poesis praecepta habere Aristotelique aut par aut superior esse putabatur. Postea etiam de titulo dubitatum est. Nunc plurimi eam adiungunt libro II *Epistularum* appellantque *Epistulam ad Pisones*, quoniam ueram artem, quae ratione ac uia ingrediatur, non praebeat (quare iam Iulius Caesar Scaliger *artem sine arte traditam* dixit). Sed hic ordo titulusque et auctoritate antiqua caret nec naturae carminis didactici aptum uidetur. Ac bene codices plures (et Quintilianus) habent *De arte poetica*, quoniam Horatius non de omnibus agit quae ad poesin spectant – cuius magna pars in ingenio et furore posita est – sed de sola arte, quae doceri et disci potest. Ab illa *arte* quae uia ac ratione instituta est eo ualde differt quod non a generalibus ad specialia sed ordine inuerso procedit, *ut iam nunc dicat iam nunc debentia dici, / pleraque differat* (44 sq.). Deest partitio aperta, sed fere omnes uident carmen in duas partes discedere: I.1-294, II. 295-476. Quarum primam uiri docti (inde ab Eduardo Norden) ad *artem* spectare, alteram ad *artificem* uolunt. Quod multi Horatium e Neoptolemo Pario sumpsisse credunt. Testatur enim Porphyrio (s. III/IV) Horatium conguessisse praecepta Neoptolemi *non quidem omnia, sed praestantissima*. Quod autem credunt Neoptolemus suam artem in *poema, poesin, poetam* distribuisse, incertum est. Nec illa in *artem artificemque* Horatiana diuisio nimium probabilis uidetur.

75. Eduard Norden: „Die Composition und Literaturgattung der Horazischen Epistula ad Pisones“, *Hermes* 40, 1905, 481-528 (= E.N., *Kleine Schriften zum Klassischen Altertum*, 1966, 314-357)

## Schola XV:

### De Horatio artis poeticae auctore II (= Liber *De arte poetica*)

#### I. 1-294 Praecepta de uariis rebus (specialia)

##### A. 1-72 De opere (= genere poetico) omni

1. 1-37 Carmen *unum* esse debere ac *totum*
2. 38-41 *Materiam* ingenio cuiusque poetae aptandam esse
3. 42-45 De *ordine* (dispositione): *ut iam nunc dicat iam nunc debentia dici*
4. 46-72 De *uerbis* (elocutione): de *callida iunctura*, neologismis, Hellenismis; de *uerbis cadentibus* ac *renascentibus*

##### B. 73-152 De diuersis operibus, praesertim de fabulis scaenicis (dramatibus)

5. 73-85 De singulorum *operum numeris* ac *coloribus*: de carmine epico, elegiaco, iambico, lyrico
6. 86-98 De operibus distinguendis et inter se miscendis (de *tragicis* et *comicis*)
7. 99-118 De elocutione personis, affectibus fortunisque personarum apta
8. 119-127 De personis aut *fama* traditis aut *fictis*
9. 128-135 De *recta imitatione*
10. 136-152 De Homeri praestantia: in proemiis, in dispositione (non *ab ouo*: *in medias res*)

##### C. 153-294 De fabulis scaenicis

11. 153-178 De humanarum *aetatum* (pueri, adolescentis, uiri, senis) diuersis *moribus*
12. 179-188 De rebus e *scaena* semouendis
13. 189-201 De numero *actuum*, *personarum*, *de* ex machina; de officio *chori* ut unius personae
14. 202-219 Digressio: De musicae scaenicae origine et historia
15. 220-250 De fabula *satyrica*: sermonem nec *humiliorem* nec *sublimiorem* esse debere; dignitatem personarum seruandam esse; etiam *Faunorum* sermonem temperandum
16. 251-262 De iambis recte fingendis (ne spondeus sit nisi in imparibus)
17. 263-274 De *exemplaribus Graecis* in numeris aliisque semper imitandis; de Plauti uitiis
18. 275-284 Digressio: De historia tragoediae et comoediae Graecorum
19. 285-294 De Romanorum poetarum felici audacia, sed nimia incuria *limae* et *laboris*

#### II. 295-476 Praecepta uniuersa (generalia)

20. 295-308 De insanioribus poetis Democriti asseclis; propositio libri: *unde parentur opes, quid alat formetque poetam, / quid deceat quid non, quo uirtus, quo ferat error*
21. 309-322 De philosophia morali poesis fonte (*scribendi recte sapere est et principium et fons*)
22. 323-332 De poesi ac gloria a Graecis plurimi aestimatis, a Romanis prae pecunia contemptis
23. 333-346 De duplici proposito carminum: *aut prodesse uolunt aut delectare poetae*
24. 347-360 De *delictis* leuioribus quibus ignoscendum sit (*quandoque bonus dormitat Homerus*)
25. 361-365 *Vt pictura poesis*
26. 366-384 *Mediocritatem* in poetis non esse tolerandam
27. 385-390 Iudicium seuerorum aures consulendas esse (*nescit uox missa reuerti*)
28. 391-407 Digressio: De dignitate poetarum: de antiquis *uatibus* praeceptoribus morum, legum, religionis; de Homeri et Tyrtaei utilitate; de oraculis et ludis Musarum
29. 408-411 *natura fieret laudabile carmen an arte?* alteram cum altera coniungendam esse
30. 412-418 Poetae cum multo labore multa discenda esse
31. 419-437 De adulatoribus ad recitationes numquam adhibendis
32. 438-452 De Quintilio et ueris carminum recitatorum iudicibus
33. 453-476 De *uesano poeta* et *recitatore acerbo*

76. Friedr. Klingner: „Horazens Brief an die Pisonen“, in: F.K., *Studien zur griech. u. röm. Lit.*, 1964, 352-405
77. Wolf Steidle: *Studien zur Ars poetica des Horaz* [...] (*Verse 1-294*), 1939
78. Helfried Dahlmann: *Varros Schrift De poematis und die hellenistisch-römische Poetik*, 1953
79. F. Sbordone: „La poetica oraziana alla luce degli studi più recenti“, *ANRW II* 31.3 (1981) 1866-1920
80. Manfred Fuhrmann: „Komposition oder Schema? Zur Ars poetica des Horaz“, in: Walther Ludwig (ed.): *Horace, l'œuvre et les imitations: un siècle d'interprétation*, 1996, 171-206